

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

SISTENS

SCIAGRAPHIAM STUDII MEDICI

CUJUS PARTEM ALTERAM

IN CÆSAREA ABOËNSI UNIVERSITATE,
ANNUENTE INCLYTO MEDICORUM
ORDINE,

PRÆSIDE

D. GABR. ERICO HAARTMAN,

*Med. Pract. Prof. Publ. & Ord. Ordin. Imperial. S. Annæ in
secunda & S. Wolodim. in quarta Classe Equ. Aurat.
Reg. Acad. Scient. & Societ. Patr. Holm. atque Oecon.
Fenn. Membro, nec non Imperat. Med. Chirurg.
Petropol. Academiae Correspondente,*

PRO SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS

PUBL. DEFERT CENSURÆ

SVENO ERICUS ALBOM

SVECUS,

*Ad Nosocomium generale Divisionis Exercitus Reg. Svec.
Occidentalis Vermelandicæ a. h. Medicus.*

In Audit. Medico d. XX. Junii MDCCCX,
h. a. & p. m. s.

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

PARS IV. MEDICINA PRACTICA, primaria sane est salutaris scientiæ pars, ad quam illustrandam ceteræ omnes, quarum hucusque mentionem fecimus, tamquam instrumenta inserviunt. Comprehendit autem Medicina practica ipsam medicinæ faciendæ rationem præceptis atque exercitatione firmatam, quam ideo artis nomine non sine jure jam designarunt & ad sanitatem tam conservandam quam restituendam diligenter adhibendam esse svaserunt. Duplicem autem pertractandi materiem exhibet hæc doctrina: Dogmata nempe Medicinæ practicæ & artis ipsius exercendæ rationem quatenus officia ac munera spectat Medicorum,

Priori respectu dividitur in binas partes:

1. *Medicina practica Dogmatica*, quæ ipsa præcepta tradit, quibus obscura illa collustratur via, quam sibi pervagandam præscripsit Medicus, ut finis artis salutaris rite obtineatur. Dividitur hæc in *Pathologiam & Therapiam specialem*.

A) *Pathologia Specialis* omnia ea tradit curatius, quæ ad ægritudinum indolem quasi propius cognoscendam pertinent. Pathologiæ generalis instar sponte in quinque abit partes: a) *Nosologiam specialem*, quæ characteres exhibet quorumvis morborum distinctas, hisque comparatis morbos in certas Classes, Ordines, Genera & Species, more Botanicorum disponit; b) *Pathogenologiam specialem*, quæ cujusvis ægritudinis originem ac genium, ut vocant, specialius explicat; c) *Symptomatologiam specialem*, quæ phænomena cujusvis morbo propria exponit; d) *Ætiologiam specialem* s. doctrinam

causarum specialium in quovis morbo obviarum; e) *Semeioticam specialem* s. historiam signorum in specie consideratorum.

B) *Therapia Specialis* remedia adhibenda eorumque agendi in quovis casu modum diligentius exponit, partesque habet quatuor: a) Dieteticam, b) Pharmaceuticam, c) Physicam, atque d) Chirurgicam (d), quarum singulae circa quas occupentur quaestiones, ex Therapiae generalis descriptione facile intelligitur.

2. *Medicina Clinica* s. *Clinice*, antiquitus sic nuncupata, quomodo praecipua artis dogmatica quasi ad lectulos aegrotantium rite atque optimo cum fructu applicentur, speciatim exponit. De rite itaque examinandis aegrotantibus, ita ut omnia quae ad inoletem morborum indagandam pertineant, explorentur (a), de remediis pro re nata optime interservientibus eligendis, de horum qualitatibus necessariis examinandis, atque de ordine quem in medicina facienda observare juvat, ne quae prius sumenda sunt ad postremum relinquuntur, determinando, vel ut more Medicorum breviter nosmet expediamus, de *indicatione* iusta quaerenda ac de *indicatione* rite determinandis, dogmata proponet non minus certa quam perspicua. Descriptiones

d) Rationibus antea allatis innixi artem Chirurgicam a Medicina non sejungentes, amplissime illius doctrinae specialem pertractationem sub Therapiae specialis titulo rectius esse comprehendendam putamus, quam si distincta fuisset designata inscriptione; quod quidem de arte quoque Obstetricia valere nullo apparet negotio.

e) Non spernendus hujus argumenti auctor est Cl. ELTZMAN in libro qui sub titulo: *Officium Medici coram aegris* jam 1748 prodiit, quamvis is libellus ad genium saeculi est aestimandus.

nes vel ut dicere malunt Historias morborum speciales partem esse Clinices, quam barbara voce Casuisticam appellant, per se liquet,

Utrasque istas Medicinæ practicæ partes, utpote quæ ad essentiam, si sic loqui fas est, Medicinæ pertineant, ejus esse indolis, ut iis Medicus, qui suum munus rite obire voluerit, minime carere possit, non est cur hac occasione probare admittamur, siquidem luculentissimarum veritatum sive axiomatum demonstrationes semper displicent.

Quod ad munera atque officia Medicorum attinet, scire licet, duplicis eadem esse generis, Privata nimirum ac Publica.

A) *Privatum* quidem Medici officium singulorum hominum valetudinem, vel ægrotantium curam spectat, ita ut Clinices privatæ administretur munus quod *praxin* vocant *privatam*.

B) *Publicum* vero Medici officium id omne comprehendit, quod a Medico tanquam singulari reipublicæ ministro ad civium valetudini bene consulendum fraderi possit. Maximum sane ambitum ista Medicorum habent officia variisque pertractari solent disciplinis, quarum summatim tantummodo tradere hac saltem occasione licet titulos.

1. *Politia Medica* quæ valetudinis civium generatim exponit curam, varias, circa quas versatur, explicare nititur quæstiones: α) Inspectionem Medicorum, Chirurgorum & Obstetricum ita habendam, ut quisvis officia sua persolvat; β) Horum quoque educationem atque institutionem ita disponendam

dam ut boni nunquam desunt artis salutaris administrari; *γ*) Inspectionem Pharmacopoliolorum respectu non tantum simplicium medicamentorum, sed etiam compositorum; *δ*) Instructionem atque examina Pharmacopolarum, quibus præcavendum ne rudes plane & incuriosi ad ista admittantur munera (*f*); *ε*) Curam matrimoniorum quatenus morborum contagiosorum distributionem noxiam evitandam respiciat; *ζ*) Curam Gravidarum Nosodochiorumque pro parturientibus institutorum; *η*) Curam nascentium & recens natorum præcipue clandestine expositorum infantum, nec non orphanotrophiorum; *θ*) Curam educationis publicæ physicæ; *ι*) Curam pauperum in hospitiiis publicis in primis gerendam, quatenus nempe valetudinem spectat; *κ*) Curam Maniacorum in nosocomiis publicis adhibendam; *λ*) Curam Prophylaxeos universalis ad præcavendos morbos inter populum grassantes (*g*) necessariam; *μ*) Curam morborum epidemicorum ac endemicorum; *ν*) Curam mortuorum ne scilicet vel admodum subito vel minus tarde, postquam scilicet nimia putredine correpti aliis nocere possunt hominibus, sepeliantur; *ξ*) Curam submersorum vel aliis asphyxiæ causis & subitanis periculis obnoxiorum;

ς) Cu-

f) Quattuor hæc allata momenta plenissimam requirunt rei Medicæ cognitionem; quamobrem in civitatibus bene constitutis *Collegia* sic dicta existunt *Medica*, quorum Membra ex instructissimis constitui solent artis Medicæ Doctoribus, quibus potestas data est leges ad rem medicam pertinentes non modo sancienti, sed etiam administrandi ac pro re nata abrogandi, ne civium valetudo ac salus propter ineptiam sive ministerum rei medicæ sive præfectorum quid capiat detrimenti.

g) Hunc namque in finem non modo alimentorum ac potulentorum sed etiam ædificiorum, vestitu, munditiæ, cet. exquisitam habendam esse rationem nemo non videt.

ε) Curam demum Nosocomiorum publicorum, quæ præcipuum ac primarium fere apud Medicos efficit publici muneris negotium. Quot itaque quantaque Medico publica incumbant negotia ex his facile intelligi potest, quamobrem minime spernenda vel parvi æstimanda esse Medicorum munera, sed meritisimam in Republica bene constituta remuneranda esse stipendiis haud levi statuitur jure.

2. *Medicina Forensis* alterum Medici publicum respicit officium quod circa varias quæstiones juris dirimendas versatur, nimirum α) Juris civilis, β) Juris criminalis, γ) Juris ecclesiastici, sub his titulis apud auctores hujus argumenti pertractatas. Quantum ab hoc munere rite obeundo in rempublicam redundet emolumentum, quantaque securitas, quando de manifestis cædibus vel clandestinis internecionibus, de sicariis, infanticidiis, jure hæreditatis, incantationibus, morbis simulatis &c. res agitur, omnibus constat. Quamobrem ut summo opere commendabilem hanc doctrinam inter Medicas disciplinas merito nos enumerasse putamus.

3. *Medicina Militaris* iisdem quidem nititur fundamentis, ac Medicina practica generaliter considerata, cum autem diversas interdum ac speciales causas esse morborum militum constet, utilis omnino eorum censenda est industria, qui varias valetudinem militum conservandi methodos descripserunt. Sigillatim autem considerari solent conditiones eorum in α) hybernaculis; β) castris; γ) itione; δ) præliis; ε) nosocomiis, quæ non minus prophylaxin quam medendi methodum determinant necesse est.

4. *Medicina navalis* idem in nautis præstat, ac *Medicina militaris* in militibus, illorum itaque valetudini conservandæ ac restituendæ providebit, qua autem in re perficienda *Medicinæ* antea commemoratis nititur fundamentis. Cùmque nautæ longis diuturnisque navigationibus præsertim vexati varietatique Climatumque vicissitudinibus obnoxii nec non vehementioribus corporis exercitiis ac laboribus defatigati & domicilii angustia afflicti plerumque sint, singulis his circumstantiis specialem adhibendam esse attentionem facile apparet, prætereaque singularem quoque requiri curam α) navium, β) ingestorum, γ) aëris identidem renovandi, δ) aegrotorumque in specie commendandam,

Inter memorata hucusque varia litterarum studia omis-
sum esse Theologicum, ne mirentur iniquiores iudices, mo-
nere oportet, nos præsumsisse omnibus Christianis sacræ do-
ctrinæ sufficientem notitiam non modo utilem esse, sed etiam
tanto magis necessariam, quanto severius postre præscripse-
runt leges, ut qui munera ambire velint publica in Theolo-
gicis examinari debeant, ideoque Religionis Christianæ suffi-
cientem cognitionem, quamvis ad Medicinam faciendam stri-
cte non pertinentem, Medico etiam tanto magis esse neces-
sariam, quanto evidentius id exigunt statuta publica, ne dica-
mus quanta ejus sit vis ad omnes virtutes temperantiam, ju-
stitiam, castitatem, constantiam, misericordiam cet. quæ ar-
tis Machaoniæ alumnos semper ornant, quantoque cre-
brius Religionis solatia summorum dolorum oblectamenta ac
levamina adducendo, efficacissimis sane interdum præstant
pharmacis.

Enumeratis jamjam, quamvis summatim tantummodo disciplinis Medico necessariis, facile apparet quanta adhibenda sit industria quantaque cura ut tantum pervagari possint Medicinæ alumni campum, nec ullus quamvis pertinacissimus sufficiet labor, nisi ingenium felix, tenax memoria, & in agendo promptitudo (quam Galli *sçavoir faire* appellant) (*h*) bona facilique methodo in disponendis studiis harum litterarum adjuventur, cujus itaque primas saltem lineas ex nostra quidem mente ducere nosmet jamjam oportuit, haud immemores tamen imbecillarum in tam difficili questione virium,

Cum vero ad hanc scriptiōnis particulam adjiciamus animam, non parum suspicamur fore, ut qualiacunque nostra consilia in multas multorum incurrant reprehensiones. Quibusdam enim prævidemus plane inutilem ac superfluam operam nostram videri, quia in statutis atque legibus Svecicis, quas nobis hucusque vindicare semper fuit & hodie quoque est licitum, præscriptum prope sit, non minus quomodo docendi sint Medicinæ alumni sed etiam quos quantosque in litteris progressus a Medicinæ Doctoribus exposcere liceat. Alios, non deesse hujus generis libellos, facile intelligimus dicturos, unde juventutis instituendæ juxta hauriatur methodus, neque ideo hoc nostro opus fuisse. Percipimus etiam futuros, qui cla-

E

mitent

h) Hancce animi facultatem, nam animo eam tribuere non dubitamus, rite describendi difficillimum omnino esset negotium, neque enim solius judicii vis eam efficit, neque imaginationis, neque demum utriusque simul agentis communis potentia, siquidem existant optimi judicii viri, qui tamen ex acutissimo ingenio nihil habent ad promptitudinem agendi subsidii. Cfr. de hoc argumento HUFELAND *Journal der Pract. Arznejk.* I. 295. VI. 446. 772. VIII. C. 85.

mitent artem difficilem a nobis multo difficiliorem esse redditam, neque tantas a republica impendi posse sumtus, quantos ad consummatam ejusmodi institutionem medicam desiderari ipsa res docet, quique propterea Ill. REILII (i) summæ sane ceteroquin apud nos auctoritatis viri consilium, quod quidem utrum serio sit propositum an tantummodo simulate nos non satis intelligere fatemur, magno exceperunt applausu, quo scilicet consilio opifices medicos (k) potius quam recte instructos sanitatis curatores in usum præsertim pauperum esse instituendos urgebunt. At vero cum de istis quæstionibus disputationem ingredi hæc reculet occasio, liceat L. B. ulterius admonere ut sine omni partium studio aut rei medicæ odio, quæ circumscripti harum pagellarum limites nobis permittunt summam proponenda æqua pensitent lance. In antecessum tamen juvat bina momenta vel ut axiomata, (liquidem minime refutari ea posse putamus,) breviter commemorare. Primo nimirum circumforaneorum medicorum atque Iatroaliptarum (de quibus Horatius: Vult quisque esse medicus, tonsor, hiltio, anus!) munera & medendi rationem reipublicæ non modo esse perniciosissima (l) sed etiam quam maxime dedecora, summo

urge-

i) *Pepinieren zum unterricht ärztlicher Routiniers als Bedürfnisse des Staats nach seiner Lage wie sie ist. Halle 1804. Cfr. etiam hac de re Briefe für Aerzte und nichtärzte über die Aftemedicin u. deren Nothwendigkeit im Staate von RADEMACHER, Köln 1807.*

k) *Eruditis Medicinæ Doctoribus (Gelehrte Aerzte) Opifices (Handwerker) opponit l. c. p. 9.*

l) *Quot quantæque calamitates cuius reipublicæ per istos agyras accesserint, quot cædes commissæ, quot veneficia modo clandestina modo aperta patrata, a quotidiana fere sat superque comproba-*

urgemus jure (m). Deinde autem iis lubenter assentimur laudatissimis viris (n), qui, siquidem in quavis republica bene constituta, vita ac secunda valetudo civium summi æstimanda est pretii, ab imperantibus & magistratibus exposcunt, ut scholas instituant, ubi occasio minime desit, qua omnem sibi necessariam eruditionem, medicinæque faciendæ habitum idoneum comparare possit futurus Medicus (o). Quibus itaque præmissis, seriem disciplinarum, officia medicorum, eorumque munera spectantium summam exponere liceat.

Primum quidem institutionis momentum circa disciplinas propædæuticas merito versatur; quamobrem de his primo loco

E 2

co

ri potest experientia; proptereaque loco consilii Reiliani institutionem quandam in generalioribus præsertim diætetis, sine ullo pharmacorum subsidio administrandis malleimus populo generatim esse inculcandam, quam ægyrtas istos privilegiis, statutis & stipendiis fovendos atque alendos. Cfr. WILDBERG l. c. p. 266 sq. & excellentissimum Cel. SCHMIDTMANN opus; Versuch einer ausführl. prakt. Anleit. zur gründung einer vollkom. Medicin. Verfass. II. Th. Hannover 1804. Vide T. I. p. 1-135.

m) Cfr. Cel. ZIMMERMANN, S. G. VOGEL, G. W. PLOUQUET l. c. GRÜNER Alman. 1785. p. 198 sq.

n) Nouveau plan de constitution pour la Médecine en France supra cit. Ueber den Einfluss des Medicinalwesens auf den Staat &c. 1799. ACKERMANN Winke zur verbesser. der Bildungsanstalten für Aerzte, Wundaerzte u. Hebammen. Zeit 1803.

o) Hoc de argumento legi merentur, quæ de re medica in Bavaria melius administranda publico edicto proposita Cel. refert AUGUSTIN in Archiv. der Staatsarzneykunde 3 B. p. 89 sq.

co est dicendum. Scire autem licet nostram qualemcunque sententiam hac in re a Cel. FLATNERI discrepare, qui videlicet una cum Mathesi aliisque disciplinis pure philosophicis Oeconomiam corporis humani vel anatomes & physiologiæ adumbrationem generalem sub primo ac secundo semestri esse discendas voluit (p). Cum etenim scientias istas præparatorias non primoribus tantum labris atque oscitanter nimis esse degustandas, sed diligentem & solidam earum esse comparandam cognitionem, summæ auctoritatis, quorum sententiæ accedere decet, haud immerito (valerint viri (q)), facile liquet, earum studia seorsum atque in antecessum quasi esse ediscenda. Neque enim ex contraria parte ad infringendum hocce sapientissimum consilium allatæ rationes (r) contra quotidianam experientiam ac sanam rationem valent; hisce namque persuademur eos, qui Mathematicis atque Logicis nec non reliquis scientiis Philosophicis rite fuerint imbuti, multo tutiorem quoque in practicis disciplinis incedere viam (s), quam qui hisce orbi subsidiis absque idearum iusta serie praxin mox adgrediantur pure empiricam, quæ tamen sectatores suos sæpissime destituat necesse est quamprimum novi occurrant phæno-

p) L. c. Progr. I. p. V.

q) ZIMMERMANN, REUSS, FLATNER, TISSOT, GRÜNER, VOGEL, l. c. J. H. RAHN Handbuch der Vorbereitung der Wissenschaften der Arzneykunst. Zurich 1792. GÖHLER Program. De noxa e nimis precipitato Medicinæ studio oriunda, Lipsi, 1792. SCHMIDTMANN l. c. T. II. p. 45 sq.

r) J. K. DIETZ Rudimenta Methodologiæ Med., Tub. 1794.

s) Si namque natura iis ad medicinam faciendam felix insimul dederit ingenium non modo instructissimos, sed etiam ad agendum promptissimos fieri Medicinæ Doctores satis est compertum.

phænomenorum casus vel morborum implicationes, quæque de cetero eos ad nimiam audaciam, arrogantiam atque infelicissimum prudentiæ & sapientiæ contemptum commovet, nihil tamen sacrum esse putantes, ut non posset impune violari. Scimus quidem ejusmodi permultas inveniri ita constitutas Scholas Medicas, ut non modo Medicæ ac Physicæ, sed etiam Philosophicæ quæcunque Medico necessariae ibi uno eodemque doceantur tempore disciplinæ, ubi admittantur juvenes ex infimis scholis vel Gymnasiis advenientes, qui paullum aliquid ultra primas litteras fuerint progressi, unde tamen doctissimi prodierunt Artis salutaris Magistri; hæc autem non melius nostram refutare arbitramur sententiam quam quod Cel. DIETZ in egregio alias opusculo (1) attulit, ut probaret fragmenta solum disciplinarum auxiliarium ad institutionem Medicorum esse suffectura. Multo etenim fertiliores instructissimorum Medicorum fuisse laudatissimas Scholas, Edinburgensium, Lugdunensium, Gottingensium, Lipsiensium, Ticinensium cet. quam istam Viennensium Academiam Josephinam olim appellatam (2) aliorumque ejusdem pretii nemo est qui ignorare possit.

Quod institutionem ipsam Philosophicam, methodumque in eadem observandam attinet, temerarium sane visum iri suspicamur, si rem a præstantissimis Didacticis Magistris fati superque pertractatam nostro imbecilliore amplificare conaremur iudicio; quapropter & quoniam ista præcepta ab illis tutius hauri-

1) l. cit.

2) Formam hujus Academiæ rationemque hodie esse quodammodo mutatam patet ex AUGUSTIN Archiv der Staatsarzneykunde, 2 B, p. 279 sq.

hauriuntur doctoribus, nec nostrum est eorum componere lites, hoc argumentum consulto prætermittere lubet, id tantum observaturis, *transcendentales* (jam erit venia verbo) quod primum attinet Philosophiæ doctrinas futuro Medico summa cum cautela esse addiscendas, ne in posterum *transcendentaliter* judicet de rebus medicis, quæ tamen sensualiter erunt examinandæ; deinde vero nihil ad temperandam istam abstrahendi pruriginem adeo esse utile & proficuum, quam Geometricas demonstrationes atque Historiæ Litterariæ disquisitiones, quarum hæc quidem inconstantiam systematum Philosophicorum factis commonstrant, illæ vero animum ad comparationem visorum cum ideis abstractis quasi identidem commovent; quapropter utrasque istas disciplinas enixe commendare debemus.

Altera pars Sciagraphiæ continet disciplinas auxiliares, quarum ediscendi rationem paucis erimus absoluturi, de necessitate earum nempe utpote jamjam explicata tacituri. Inter istas autem tres occurrunt disciplinæ Historia nempe naturalis, Physica & Chemia, quæ in quibusdam Academiis ad scholas doceri solent Philosophicas, quamobrem una cum reliquis hujus generis scientiis iisdem semestribus Medicinæ quoque alumnis inculcandas esse svademus. Id tantum observare licet studia istarum litterarum ita esse dirigenda, ut quæ Medicis inprimis prosint ipsis uberius atque curatius tradantur. Sic e. g. ad Medicorum institutionem rectius administrandam ea pertinet Botanicæ pars, quæ plantas officinales, Ordines naturales, Chemicam analysin, partium constituentium indolem, ac proprietates, nec non Plantarum phænomena Zoogena concernant, quæ ideo accuratius sunt perlustranda, omnis quæ ad litigia, de Systemata conficiendi principiis, vel de generum ac specierum iustis denominationibus, cet. pertineant. Idem omnino valet de reliquis Historiæ naturalis partibus, at ita tamen ut

ut Zoologiæ, propter suam cum Physiologia intimam cognationem, diligentissime sit incumbendum, quatenus phænomena in animalibus obvia respiciat.

Abfolutis quæ ad harum litterarum pertinent institutionem, ea quidem ratione, ut Botanices studium præcipue tempore æstivali reliquarum autem hyemali suscipiatur. Physicis disciplinis ediscendis diligens postea danda est opera, utpote quarum subsidio orbatam alias valde claudicare Physiologiam hominis constat. Utriusque autem scientiæ non modo theoretica dogmata ex ore præceptorum attente exaudiat & ex approbatis auctoribus repetita lectione capiat Medicinæ alumnus, sed etiam indubitatas veritates per experimenta diligenter ac caute instituta confirmatas probe nec semel examinet, haud immemor fallacias nullibi facilius quam in rebus physicis committi. Hanc quoque ob causam instructissimæ desiderantur officinæ necesariorum quorumvis instrumentorum copia provixæ neque ulla ad sumtus inevitabiles impendendos rerum penuria. Scire præterea licet, minime inutiles esse auditiones demonstrationum physicarum ac chemicarum, antequam ipsa ista studia propius & proprio quasi Marte adeant Medicinæ alumni, quia magis perspicua atque intellectu facilio-
ra sæpius sic visa fiunt phænomena stupenda sæpe & valde implicata.

Pharmacologiæ porro, qualem supra proposuimus, studium facile succedit, præmissa sufficiente Historiæ naturalis cognitione, quamobrem illius perlustrationem velut huic contiguam post hanc mox esse suscipiendam sana svadet ratio. Quocirca id tamen observari meretur, ea, quæ in Pharmacologia velut ad Therapiam speciatim pertinentia pertractantur, Tironi esse

esse prætermittenda, utpote quæ nec satis adhuc intelligi nec in usum commode verti queant.

Quod de Pharmacologia respectu Historiæ naturalis valet, multo magis de Pharmacia respectu Chemiæ, siquidem primariam fere quatenus Medicorum respiciat institutionem, eam esse hujus scientiæ partem ipsa rei natura docet. Caveant tantum Medicinæ alumni ne in ediscenda Pharmacia ultra limites chemicos procedant; quæ nempe de methodo præscribendi formulas medicamentorum sunt ediscenda antequam indicationum rite acquisiverint cognitionem percipi nequeunt.

Deinde vero, vel potius eodem tempore, Anatomicis demonstrationibus ac Physiologicis acroasibus junctim interesse non deerunt Medicinæ alumni absque tamen propriis mox adhibitis lucubrationibus, ita ut *per ejusmodi anatomes physiologiæ quasi prolyusionem quandam*, (verbis utimur Cel. PLATNERI (v)) *discentes in primam notitiam harum disciplinarum adducantur*. Postea namque multo facilius quæ ad subtiliorem ac pleniorum Anatomies & Physiologiæ notitiam pertinent & intelligi & memoria retineri possunt. Quam necessarium autem sit, ut utriusque insimul fiant, præmissa tamen de partium fabrica quavis vice descriptione (w), pleniores demonstrationes, tanto evidentius apparet, quanto inutilior esset quævis fabricæ disquisitio absque ejus usu cognito, quantoque magis ambiguum de partium usu judicium sine justa structuræ ac formæ

v) l. c. Progr. II. p. IV.

w) De hoc argumento egregia pro more proposuit Cel. HALLERUS (in Elem. Physiol. corp. hum. T. I. præfat.) consilia,

mæ cognitione. Hisce itaque disciplinis diligentissime sane est incumbendum, omisiss tamen quæ vanæ potius curiositatis quam utilitatis gratia apud Anatomicos præsertim doctores examinari solent; unde sequitur, minutissimas vasorum nervorumque ramificationes, quando in primis parum constantes sint & partes grandiores (x) directe non constituent, tanti non esse faciendas ac eorum anastomoses atque mirabiles implicationes dum ex his ad phænomena animalis naturæ quodammodo concludere licet. Qua autem serie partes Anatomix diversas perveiligare debeant Medicinæ cultores non omnium eadem fuit sententia, ut vero nostram interponamus mentem, monere juvat, post exauditas quasdam Splanchnologiæ & grandiorum partium acroases, dum ad Anatomicas disciplinas animum propius convertere incipiunt Medicinæ cultores, post Osteologiam siccam & Syndesmologiam, a qua initium est faciendum, Myologicas (y), deinde Angiologicas & postmodum Neurologicas dissectiones esse instituendas quarum utraque ut mirificæ Cellulosæ distributiones una quali detegantur necesse est (z). Ea

F de

x) Hoc vocabulo eas Partes intelligit Cel. PLATNER I. c. p. VI. quæ structura sua singulum quoddam corpus efficiunt & ex communibus structuræ humanæ elementis (vasis sc. nervis ac cellulosa) compositæ deprehenduntur.

y) Absolutis Myologicis dissectionibus sub quibus multa ad Syndesmologiam pertinentia nec prætermittenda ulterius occurrere necesse est, Osteologiam recentem una cum restantium ligamentorum disquisitionem suscipere profecto juvat, quia multa tum melius quam in siccatis ossibus intelligi possunt ac percipi.

z) Exercitia Musculos dissecandi Cel. improbasse PLATNERUM I. c. Progr. III. p. XI. non sine quodam jure miramur; quis enim ne-

de re tamen ulterius observari oportet, Angiologicas distinctiones non ad arteriarum tantummodo disquisitiones esse restringendas, sed etiam venarum & imprimis vasorum lymphaticorum anatomem debere comprehendere.

Absolutis sic quæ ad elementa vel prima flamina partium corporis humani pertineant, sequitur ut singularum grandiosum partium (quas hoc nomine intelligamus paullo ante est dictum) structuram (aa) curatius examinent Medicinæ cultores, proptereaque Splanchnologiam, Ætheteriologiam, Dermatologiam atque Adenologiam successive pervestigent. Hisce vero consilium quod addere oportet, non esse repudiandum putamus: scilicet nec semel nec in transeursu tantum eas esse colendas disciplinas, sed sedulo & crebra reiteratione memoriæ insigendas. Verumtamen non inde sequitur, universi corporis sectiones a quovis instituendas esse Medicinæ Alumno, sed unius partis ab hoc alius ab alio, dummodo demonstrationum totius corporis diligentes auditiones a nemine negl'gan-

scit viscerum implicata elementa ægre admodum ab inasveto posse secari atque explicari, quomobrem ut habitum illum secandi acquirant tirones a partibus sectu facillimis h, e. musculis incipiendum esse merito svademus.

aa) Perinde esse, utrum Splanchnologiæ præmittatur Angiologia & Neurologia an his Splanchnologia monet quidem Cel. PLATNER l. 1. Progr. III. p. III. quod quidem quatenus acroases respiciat verum esse concedimus, at cum de anatomicis sectionibus ab ipsis tironibus instituendis res agitur, seriem a nobis propositam non modo maxime esse consentaneam sed etiam utilissimam ipsa rsi svadet ratio.

gligantur. Ab hac regula eos tamen excipias qui anatomes aliquando doctores fieri cupiunt; hos enim totius corporis singulas partes secando accuratius examinare atque perspicere juvat.

Physiologicas acroases cum Anatomicis junctim exaudiendas jam supra nec inconsulto commendavimus; cum autem notum sit ad œconomiam animale[m] probe cognoscendam istas profecto non sufficere, sed propriam quoque meditationem, optimorum auctorum lectionem, experimentorum tam in vivis animalibus, quam in mortuorum singulis partibus instituendorum frequentem usum, & functionum denique in vivo homine cum iisdem in ægrotante comparationem desiderari, per se patet, Anatomicas disquisitiones hisce Physiologicis esse præmittendas. Ne vero hæc studia ad determinatum restringamus tempus, vetat non minus variæ admodum occasionis habenda ratio, quam varia tironum discendi cupiditas ac vis ingenii, quamobrem cum PLATNERO, in l. c. determinata semel istria hisce studiis dicanda svadere nos non potuimus, sed, quamvis prælectiones doctorum certo quodam ordine aut ferie audire juvat, propria tamen studia cuivis pro re nata esse dirigenda jure svademus.

Pathologia inter difficillimas sane numeranda est Medicinæ partes, ideoque caute & cum magna circumspectione ad discenda. Quamobrem cum abstracte nimis & metaphysice plerumque perperam pertractari soleat, eoque fiat, ut speculationibus suis indulgentes ficta pro veris, & repræsentationes imaginationis pro visis sumant juniores Medicinæ alumni, utile omnino esse crediderimus si clinicas demonstrationes frequentent antequam ad Pathologiam discendam semet strictius

conferant, easque ita institutas, ut more HIPPOCRATIS nonnisi observata vifaque attingant. Hoc namque modo præcaveri potest ne dialecticis phrasibus atque apparente dogmatum consequentia decipiantur Medici juvenes, & ne utilem idoneamque in rebus physicis prætermittant fceptin, quæ scilicet nonnisi id quod saniore empiria confirmatur tamquam verum, assumi permittit. Ita vero præparatum animum ad Pathologiæ generalis specialiozem perveftigationem convertere decet, duce Præceptore ab omni partium studio alieno & repetitis, quæ de humana natura ex Physiologicis antea didicit principiis (bb). Omnes quidem Pathologiæ partes utiles esse non est cur dubitemus, sed Pathogenologiæ atque Æthiologiæ in primis esse incumbendum per se patet, quamobrem etiam in his primariam cum docentium tum difcentium collocandam esse industriam merito urgeamus (cc) ea folum conditione, ut non nisi quæ per experientiam probari queunt difcentium inculcentur animis, quod quidem non obftat, quominus præcepta quædam generalia vel dogmata conftituantur, ad quæ tanquam ad normam refpicere poffunt tirones.

Therapia generalis, quatenus *indicationes* five conditiones morbofas in corpore ægrotante mutandas pertractat, magnopere fane Pathologiæ folidioris adjuvatur cognitione, ex qua fiquidem cum *abnormitas* virium tam *anomaliam* organicæ formæ

bb) Conjunctionem Physiologiæ cum Pathologia in egregio libro Grundriß einer allgemeinen Physiologie u. Pathologie des menschlichen Körpers. Kopenhagen 1801. felici cum fuccelfu fufcepit Cæl. PEAFF.

cc) Cfr. hac de re HALL I, c. p. 42.

mæ quodammodo eruitur. Quatenus vero *indicata h. e.* effectus remedium desideratos respicit, difficillima profecto est Medicinæ pars. Quæ namque de viribus medicamentorum & de earum agendi ratione apud doctissimos inveniuntur Medicinæ scriptores, velut fragmenta observationum plerumque mere empiricarum cum dominantis vel amatæ sectæ dogmatibus intertextarum, esse considerata quisque a partium studio alienus æstimator sine dubio iudicet. Quid ideoque sive de pharmacorum sola incitandi facultate alii statuant, sive de vi eorum mere chemica alii, ad meras plus minusve plausibiles referendum esse conjecturas non sine jure putamus. Ne ideoque valde confusæ ac perturbatæ apud juniores Medicos harum rerum existant notiones, cum Cel. PLATNERO (*dd*) commendare non dubitamus, ut Therapiæ generali diligentes præmittantur clinicæ acroases, ex quibus de certo in illa scientia quærendo quid sentiat Tiro quidve agat quodammodo possit erui. Quod demum cum hæc doctrina conjungenda sit pharmacologiæ repetitio, ipsa instituti svadet ratio.

His studiis absolutis, Historiam Medicinæ diligentius esse pervolvendam (*ee*) antequam ad praxin discendam propius accedat Medicus juvenis, eum in finem svademus, ut nec temere quid suscipiat, nec nimis timide artis auspicetur exercitium. Qui etenim fata artis Medicæ paullo diligentius examinaverit arctosque cognitionis humanæ limites inde perspexerit, arrogantiam, si quæ forte adfuerit, lubenter exuere non dubi-

dd) I. c. Progr. IV. p. iv.

ee) De utilitate Historiæ Medicinæ legi merentur quæ Cel. GAÜNER in Almanach für Aerzte u. Nichtärzte 1794. p. 3 sq. monuit.

dubitabit, multoque prudentius atque cautius in medicina facienda procedendum esse facile sibi persuadebit. Hac itaque in re nos a Cel. PLATNERO iterum quidem discrepare, qui scilicet hanc doctrinam ad ultimum institutionis semestris remisit (*ff*); cui tamen dissentioni ut ignoscant æquiores iudices non tam speramus quam confidimus.

Locuplete hocce multifariæ doctrinæ apparatu instructus quicumque fuerit Medicinæ alumnus atque apto ceteroquin præditus ingenio (*gg*) ad praxin medicam non tam impune quam tuto & honorifice suscipiendam animum jamjam adicere poterit. Quapropter de his pauca disserere instituti evadet ratio. At evadet quoque, ut primum moneamus bene instructa requiri Nosocomia (*hh*) in quibus desiderata suppeditatur occasio morborum phænomena propriis perlustrandi oculis, causasque examinandi, atque curationes investigandi. Circa hanc autem rem observandum esse putamus, ea Nosocomia cum ad juventutem instituendam tum ad observandum maxime esse idonea, quæ restrictiorem dummodo selectus sit continent ægrotantium numerum; hujus namque generis Nosocomia fructuosissimos assidionum casus ad contemplandum & ad experiendum exhibent, quo fit, ut ex pauciore isto ac selecto

nu-

ff) Progr. VIII. p. 141.

gg) Cfr. ingeniosam ingenii descriptionem quam Cel. ZIMMERMANN exhibuit in l. c. p. 337 sq.

hh) De controversia utrum melius sit agrorum in propriis ædibus an in Nosocomiis gerere curam inter Medicos vehementer agitata Cfr. GRÜNER Alman. 1786. p. 219 sq.

numero plus discant alumni, quam quod in majore Nosocomio osecitantius plerumque frequentato & levioribus cum notatu dignioribus passim intermixtis sed difficile discernendis repleto ægrotationibus, hauriri aut potest, aut solet.

Confirmatur hæc assertio exemplo Cel. RICHTERI (ii), qui ex pauciore sane numero ægrotantium, quorum in Nosocomio Gottingensi curam gesit, multo plures fructuosioresque aphorismos pathologiam ac therapiam egregie illustrantes cum orbe litterario communicavit, quam quos in aliorum adversariis, licet in maximis collectis nosocomiis vulgo invenias. Ex his facile apparet nos, clinica ista instituta, quæ recentiori ævo in propriis ægrotorum ædibus passim accommodanda multi svaferant celebres viri, ad disciplinas medicas tironibus inculcandas minime commendanda putare, et si eorum ceteras in republica utilitates minime denegamus, qua in re consentientes vidimus editores recentiorum litterariorum Jenensium (kk), qui Cel. HORSCH (ll) graviter reprehendunt, quod ejusmodi institutum in patria urbe magnopere commendaverit. Deinde vero non possumus non commilitonibus, qui ad praxin

le

ii) Medicinische und Chirurgische Bemerkungen. I B. Göttingen 1791. in quarum præfatione nostram ipse quoque defendit sententiam.

kk) Allgem. Litt. Zeit. 1810, N:o 30.

ll) Beobachtungen über die Witterung und die Krankheiten in Würzburg im Jahr 1807 nebst einer ausführlichen nachricht von der klinischen technischen Bildungsanstalt des Arztes als Klinikers u. als Staatsdieners. Rudolstadt 1808.

se conferre cupiunt, enixe commendare, ut quicquid aut videant, aut audiant, aut agant, in futurum usum quæ scitu necessaria videri possint distincte adnotent & adnotata servent. Hunc in finem album habebit Medicus juvenis, quod *Silvan* Cel. DE GÖRTER (*mm*) appellat in quod ea referre queat, quæcunque sive in acroasibus clinicis, sive sub inspectione ægrotantium sive sub lectione scriptorum medicorum non tam curiosa quam utilia comperit, quibus adversariis concinne notatis indicem præmittere oportet ita comparatum, ut facili negotio evolvere possit quæcunque cupiat. Neque enim omnibus, quam Ill. quondam HALLERUM adhibuisse fertur, succedere putamus methodum, qua scilicet memoratu digna Schedulis vel Chartulis committunt, utpote quæ facile pereunt (*nn*).

His itaque positis sequitur, ut ad ipsam practicam institutionem propius accedamus. Scire autem licet non modo diligentibus auditionibus acroasium clinicarum Diagnosis morborum utpote primum sane Medici officium addiscendam esse, sed etiam propriis observationibus atque explorationibus confirmandam; quamobrem examina ægrotorum & accuratius & sæpius duce præceptore instituere oportet (*oo*) ut consuetudinem quandam morborum dignoscendorum adipiscatur, quem
quo-

mm) Methodus dirigendi studium Medicum p. 4.

nn) Hac de re cfr. egregium libellum Cel. MEINERS: Anweisungen für Jünglinge zum eigenen arbeiten. Hannover 1791. p. 84 sq.

oo) Methodum ejusmodi examina instituendi egregie descripsit Cel. VOCAL in opusculo Anleitung zum Kranken-Examen. Stendal, 1796.

quoque in finem juvat, optimos qui de examinatis morbis exsiant scriptores attente simul perlegere & ea quæ symptomata non modo in genere sed etiam diagnostica in specie concernant, annotare (*pp*). Eadem ratione non modo Pathogeniologie atque Æthiologiæ sed etiam Semejotices specialis cognitionem sufficientem sibi comparet. Hoc eodem tempore ut laudatissimum Cel. ZIMMERMANNI de experientia librum citatum nec non aliud in eundem finem recentius conscriptum opusculum (cui titulus: Stolpertus ein junger arzt am Krankenbette. Mannheim 1800 — 1802.) legat atque relegat magnopere nosmet commendare ingenue fatemur.

Si vero quæritur quinam morbi a Medicinæ alumnis primum sint examinandi, negare non possumus nos, ut februm naturam varietatesque primum ediscant enixe svadere, quia & simpliciore magisque plerumque præcipitem atque intellectu faciliorem agnoscunt genesin & celeriore habent decursum neque tot tantisque involvuntur complicationibus ac plerique saltem graviores morbi non febriles. Accedit quoque, quod dynamicè potius quam organice oboriri videantur saltem simpliciores febres, proptereaque facilius intelligantur. Consuetudinem autem jam quandam visendi ægros adepti, magis intricatos adeant casus morborum imprimis chronicorum, qui a turbatis organis una cum virium affectione abnormi or-

G

tum

pp) In hunc finem commendari meretur ut Systemata sic dicta Nosologica, quale SAUVAGESII, CULLENII cet. consulantur, utpote quæ conspectum quasi exhibent cognationum atque differentiarum inter varios morbos, unde facilius recordari possit Medicus juvenis quid de obvio morbo antea sit observatum.

tum ducunt, eodemque modo non tantum auditione prælectionum cognoscendo ortui atque progressui morborum horum inspectione naturæ ipsorum diligentius explorandæ assiduam impendant operam. Accedente jam docentium diligentiore expositione rerum visarum lecturarumque & in albo, cujus mentionem supra fecimus, assidua annotatione eorum quæ nemoratu digniora inveniantur; nihil obest quominus artis medicæ exercitium mox adgrediantur Medicinæ alumni practicum. Attamen ut Diagnostice sibi adhuc plenius cognitam reddant Anatomiam quoque Pathologicam ad eruendas morborum causas atque sedes non tantum ex probatis auctoribus (qq) ediscendam, sed etiam propriis quoties occasio fuerit tentaminibus confirmandam esse per se patet.

Quamdiu in hisce ediscendis morantur Medicinæ alumni, bina ipsis adhuc vellemus addere quibus incumbant negotia: alteram ut probatissima primum practica non tantum recentiorum scriptorum (rr), sed etiam priscorum (ss) opera (tt) hoc tem-

qq) BONETI, MORGAGNIO, SANDIFORT, E. S. ABBINO, LUDVIGIO.

rr) SYDENHAMI, HOFFMANNI, HUXHAMI, VAN SWIETEN, WERLHOFF, BÜRSERII DE KANILFELD, STOLLII, CULLENII, J. G. VOGEL, FRANK, LENTIN, TISSOT, MARCARD, REIL, HUFELAND, HORRN, cct.

ss) HIPPOCRATIS, CÆLII AURELIANI, nec non C. CELSI saltem hujus quæ Chirurgiam spectant.

tt) Quo tempore priscorum lectionum suscipit Medicinæ alumnus, quod quidem enixe commendant GRÜNER in Alman. 1791. p. 9 sq. & SCHMIDTMANN l. c. 2 Th, p. 49. eodem etiam ut pervolvat eg-

tempore assiduis (uu) pervolvant lucubrationibus; alterum ut in historiis morborum describendis nec non obductionum rationibus exponendis semet duce Præceptore diligenter exercent. Hoc autem institutionis tempus ad ista scribendi exercitia, quæ artem medicam muneraque medicorum spectant, maxime esse opportunum, ne quis dubitet, liceat in mentem revocare quod de lingua latina bene scribenda Cel. monuit SCHELLERUS (vv) neminem antea posse bene scribere quam quod scribat, habeat, & quid scribat, sciat. Neque quod ad lectionem attinet operum practitorum, multis opus est argumentis, ut ejus demonstremus utilitatem, siquidem non modo ad ipsam morborum diagnosis multum faciant, sed etiam ad præcepta Therapevtica mox adhibenda viam quasi sternunt.

Ita jam edoctus alumnus ad primarium medici negotium, quod in morbis sanandis versatur, suscipiendum paratus erit. Ideoque *indicationes* ut vocant justas & cum sanæ rationi tum experientiæ consentaneas, primum colligere atque ad unguem pensitatis non tantum phænomenis morbi sed etiam causis remotis, exponere pedetentim asvescat, ita ut quæ minus recte proposita videantur, a Præceptore corrigi atque emendari possint.

G 2

Simul

gregium librum J. E. HEBENSTREIT Patæologia Therapiæ ed. C. G. Gruner Halæ 1778. enixe svademus utpote ex quo non decernunt optimi fructus.

su) Merito Cel. monuit HUFELAND magnopere præstare multum quam multa legere, vide System der Pract. Heilkunde in præfat. p. XIX.

sv) Præcepta Stili bene latini P. I. p. 19.

Simul vero Pharmacologiæ ac Therapiæ generalis summa repetere oportet capita, ut ex his fontibus hauriatur quod ad morbum, de quo agitur, removendum præscribi *indicatio* s'vadet; at vero in his ad *contraindicantia* probe quoque esse attendendum merito juvat monere. His principiis præmissis non admodum difficile erit methodum discere formulas medicamentorum & concinnas & efficaces conscribendi; quod idcoque postmodum ab alumnis maturioris iudicii consilii que faciendum esse haud immerito s'vademus. Per se quidem patet neque diætetica, neque Physica si quæ fuerint utilia, & nequidem quæ ad moralitatem ut vocant spectant, si hæc a diæteticis separare placeat, negligenda esse sanitatis restituendæ subsidia.

Ne autem, quod haud infimum esse quotidiana docet experientia ad morborum curam adhibendum auxiliorum genus, quod scilicet manu medetur, plase prætermisisse videmur, observare juvat, nos, ut exercitia Chirurgica, a primo tempore, quo Nosocomia frequentare incipiant Medicinæ Alumni, suscipiantur commendatum velle, ea scilicet ratione, ut a levioribus operationibus initium capiatur, quo ad difficiliore, postquam plenior acquisita fuerit scientiarum theoretiicarum cognitio, tanto magis postea fiant idonei & parati, qui istas habent facultates tam animi quam corporis, quas apud Chirurgoſ considerat Experientisignus quondam CELSUS (*ww*). Quæ etenim ad

ww) "Esse autem Chirurgus debet adolescens, aut certe adolescentiæ propior; manu strenua, stabili, nec unquam intremescente, eaque non minus sinistra, quam dextra promptus; acie oculorum acris, claraque; animo intrepidus, immisericors, sic, ut sanari velit eum, quem accepit, non ut clamore ejus motus, vel magis quam res desiderat, properet, vel minus, quam necesse est, secet; sed perin-

ad Theoriam Chirurgiæ pertinent modo in Pathologia modo in Therapia generali antea esse demonstrata atque explicata merito præsupponendum esse putamus. Quæ autem de difficilioribus operationibus Chirurgicis monuimus de exercitiis artis obstetriciæ quoque valent. Itaque antequam ad obstetricum munus se accingat Medicinæ alumnus reliquas practicæ Medicinæ disciplinas probe cognoscat necesse est & in primis quæ ad morbos puerperarum atque infantum speciatim pertineant.

Politia Medica & Fœrensis iisdem quidem nititur fundamentis ac reliquæ praxeos medicæ partes, ideoque in his nova Medicinæ alumni non egent demonstratione; cum autem in quæstionibus earum disciplinarum practicis haud raro quædam occurrant non minus exploratu difficilia quam etiam ambigua, haud immerito svademus, ut præceptorum manu ductione adjuvati prima sua alumni suscipiant tentamina, ne in adeo arduis rebus intempestive fallant. Hunc in finem utile quidem foret ad auditiones discussionum in Collegio Medico circa quæstiones memoratas habendarum Medicinæ alumnos convocare, quibus id impetrare possent ut hujusmodi enodationes iis dein fiant multo faciliores,

De tempore institutionis nihil a nobis statui posse fate-
mur, quamvis id Cel. PLATNERUS (l. c.) aliique fecerint, quia
id a variis pendere circumstantiis persuasi sumus, ab ingenio

"de faciat omnia, ac si nullus ex vagitibus alterius affectus oriatur,"
Vide l. c. L. VII, præf. Ed. Krausii p. 406.

nio atque diligentia discipulorum, a numero & assiduitate doctum, a forma atque instructione scholarum nec non locupletiore parcioreve nosocomiorum atque aliarum ad medicinam cum theoreticam tum practicam institutionum apparatu &c.

Ita autem instituti & probatissimo doctrinae apparatu instructi artis Medicæ administrari, nullum est dubium quin munera possint sibi demendata egregie obire atque rei medicæ, de qua rite in nostra saltem patria instituenda alia suppeditabitur occasio dicendi, optime præesse, & hac quidem ratione sumtus, quos respublica, non vana se ostentandi ambitione, sed veram felicitatem civium promovendi cupidine quali permota, ad talem instituendi rationem sublevandam fecerit, sat superque compensare, valetudini scilicet civium conservandæ atque restituendæ diligentissimo nec frustraneo studio invigilantes. Quem igitur fugere potest Imperantium sanctissimum omnino esse officium salutis civium, quatenus in secunda quoque constat valetudine, omni studio omnique prospicere cura? Merito namque CICERO (xx): "Magistratum est, totum reipublicæ curare corpus, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deferant."

xx) De officiis Lib. I.

